



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 86. Patriarchæ obsequium Pontifici exhibitum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.
A. C. 1428.

a Papa exciperetur, conventum esset; cum enim Græci, Orientali schismate facto, Primatum Papæ, ac supremam ejus in terris auctoritatem in controversiam traherent, atque hanc ipsam quæstionem in Synodo decidi peterent, ipse Patriarcha primæ, quam in Ecclesia Orientali gerebat, tuendæ dignitatis studiosius parem cum Romano Pontifice honoris gradum sibi reddendum, nullumque aliud præter ætatis prærogativam discrimen inter eos agnoscendum contendebat. Præcipue vero duo sibi concedi postulabat. I. Cardinales sibi etiam obviam procedant; hi enim non comparuerant, solis Episcopis illum excipientibus. II. Ipse non cogatur summi Pontificis pedes juxta Occidentalis Ecclesiæ consuetudinem deosculari. Huic utrique articulo, cum Patriarcha fortiter institisset, Papa juri potius suo cedere, quam pacis bonum impedire volens, ejusdem postulatis annuit; interim vero vetuit, ne Patriarcha Pontificio uteretur pedo, aut per urbem Ferrariensi populo solemniter benediceret.

§. LXXXVI.

Patriarchæ obsequium Pontifici exhibitum.

Conc. tom. 13. p. 904. Hisce omnibus ita compositis, qua-

tuor Cardinales, viginti quinque Episco- Sæcul. XV.
 pi, unacum ingenti numero Prælatorum, A. C. 1438.
 & Papæ officialium, ipsoque Marchione
 Estensi cum filiis suis, & maxima nobi-
 lium corona præsentem Patriarcham e na-
 vi descendentem exceperunt, eumque ob-
 sequiosa salutatione venerati sunt; demum
 tam Patriarchæ, quam reliquis, qui eum
 comitabantur, equos opportune instru-
 ctos obtulerunt; quibus conscensis Patriar-
 cha inter duos Cardinales, quorum alter
 erat Prosper Columna defuncti Pontifi-
 cis Nepos, medius vehebatur, ceteris suo
 quisque ordine tamdiu insequentibus, do-
 nec ad ipsum Pontificis palatium perven-
 tum esset, ubi Patriarcha equo descendens
 per aulas, & exteriora cubicula ad secreti-
 cubilis portam ducebatur, in quo Pon-
 tifex, qui alloquium noluit esse publicum
 in folio suo admodum elevato sedens, il-
 lius adventum præstolabatur, Cardinali-
 bus ad dexteram Papæ in humilioribus
 sedibus collocatis. Appropinquante Pa-
 triarcha aperiebantur ianuæ, per quas
 ille ingrediebatur, nonnisi sex suorum
 eum comitantibus, nempe Trapezuntino,
 Ephesino, Cyziceno, Sordio, Nicæno &
 Nicomediensi Metropolitibus. Papa e folio
 suo surgens, advenientem mutuo ample-
 xu, datoque pacis osculo excepit. Quo
 facto folium suum repetens, Patriarcham
 ad lævam suam in sede, qualis erat Car-
 dina-

Secul. XV.
A. C. 1428.

dinalium, confidere fecit; denique sex illi Metropolitæ ad osculum pariter admissi, sinistrum Patriarchæ latus stantes stipabant. Post hos ceteri Græci, qui Patriarcham comitabantur, alternis vicibus seni ac seni ad cubile Pontificis introducebantur, qui obsequii sui homagium pro diverso dignitatum suarum gradu exhibebant, aut faciem, & Papæ dexteram deosculantes, quod Episcopis, & primis Ecclesiæ Constantinopolitanæ Ministris concessum, aut profunda veneratione illum salutantes, quod ceteris Clericis prescriptum erat; Laici vero Papæ pedes genuflexi deosculabantur. Hæc ita permixta fuere, ut Græcorum consuetudini pro ratione temporis indulgeretur.

§. LXXXVII.

Consultatio Papæ cum Græcis de Synodi negotiis.

Vide supra
§. LXIX. &
§. LXXVII

Elapso aliquot dierum spacio actum est cum Imperatore, & Patriarcha de celebranda Synodo, cujus jam binas Sessiones fuisse præmissas meminimus, quarum prima habebatur die decima Januarii Præsidente Nicolao Albergato, quem Pontifex tanquam Legatum paulo ante adventum suum Ferrariam miserat; altera vero die decima quinta Februarii ipso Eugenio præsentem. Igitur Papa de sincera

Græ-